

292

290

296

286

301

281

341

241

391

191

Ende

Anfang

277

objecta habemus p^rae oculis, de quibus nulla fit interrogatio, nulla sermocinatio; sed solum de re inutili est vestra disputatio? Ad haec quidam respondit: Templum hoc esse Salomonis cognoscimus ex relatione vulgari, et nihil sanctius, nihil clariss et pulchrius p^rae oculis habemus. Montes et valles per circuitum non curamus, nec ea cognoscimus: et verum dicebant, quia nec dum montem Oliveti cognoscebant. Ad hoc ego respondi: templum Salomonis non videtur, quia dudum ad nihilum redactum est, et hoc templum, quod nunc videtur, est quartum templum, post templum Salomonis in hoc loco aedificatum. Esto tamen, quod sit templum Salomonis, quid vobis et templo isti? Quam utilitatem consequemur, etiam si intromissi fuerimus? In eo Christus non colitur, imo abominabiliter blasphematur cottidie, et maledictus Machometus laudatur. Venistis in Jerusalem propter execratam et prophanatam ecclesiam illam? Quare non respicitis in vallem, quae est ante vos, et montem oppositum? Cumque dicerebant, se illa non cognoscere, dixi: ecce vallis illa est vallis Josaphat, in quam totus mundus congregabitur ad extremum judicium, et mons ex opposito est mons sanctissimus Oliveti, de quo Christus in coelos ascendit. De his conseramus, ibi miremur, illa sunt de f^ro^ro nostro: et nihil de isto execrato templo. Et incepimus utilem disputationem de parvitate vallis Josaphat, et de multis talibus. Et his locutionibus finitis finita fuit peregrinatio montis Syon sacrorum locorum, quae sunt in ejus culmine. Alia vero loca montis Syon in ejus declivo et vallis alio die visitavimus, sicut patebit. Regressi ergo sumus unusquisque ad locum suum: saeculares peregrini ad hospitale S. Johannis, religiosi vero in Conventum fratrum.

Commendatio sancti montis Syon et descriptio.

Syon mons in sacra Scriptura frequentissime nominatur; est autem mons Syon ad australem partem civitatis sanctae, situatus altior quam reliqua civitas, non (B) tamen multum. Olim fuit undique vallis circumdatus, etiam a parte ille, qua respicit civitatem Ierusalem, ita quod inter ipsum et urbem fuit profunda vorago, qua secabatur civitas a monte: et per

